



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 132. Nescis quia potestatem habeo, crucifigere te. v. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

care ei tam operosam rem non tenebaris, quoniam Pilatus de causa tua cognoscere debebat, non de origine, quæ cognitio facta erat in descriptione orbis sub Augusto, & repetebatur in censu, cum opus erat. Hinc dico quod nec ad omnes quæstiones respondere debeamus sed ad eas, quæ ad rem sunt, alias melius tacemus, cum Christo.

§. 132. *Nescis quia potestatem habeo, crucifigere te. v. 10.*

Principatus sui potestatem, quasi virgam, Pilatus intentat, cuius formidine impelli Christum posse ad responsionem opinatus est. Possit igitur se sive punire velit, sive absolvere, & potestatem hanc in se solo fixam esse asserit, quasi ergo taciturnitate Christi despectus, indignatusque terret & silentii rationem non intelligens elicit.

**V**ere ignorans es tu Pilate, miser & miserabilis, qui nescis & non agnoscis modo eum à quo accepisti potestatem hanc tuam, mediantibus tamen Romanis, Tiberioque Cæsare, stat hic quidem humilis & abiectus & despectus modo Creator ante Creaturam, Dominus ante servum: at paulo post gloriosus auferret à te omnem potestatem, de qua gloriaris mediantibus ipsdem tuis promotoribus, ut morte turpissima præ confusione te ipsum perimas: si sapias cito convertere ad Dominum Deum tuum, qui modo submitit se tuæ potestati, & noli eum condemnare, sed dimitte innocentem, quem agnoscis, ne potestati eius quandoque subijciaris iniustus, & vindictam simul de tua iniustitia.

§. 133. *Et potestatem habeo dimittere te. v. 10.*

Potestas sumi potest pro iure ac autoritate arbitrij & pro viribus seu fortitudine in exequendo, & de alterutra vel utraque sane iactabat se Pilatus, neutram tamen habebat harum independentem sive primam causam spectemus sive alias secundas causas uti est Imperator, vel Senatus Romanus. Pulchre in hoc Pilato manifestatum est ingenium rationis humanæ in donis Dei, qui enim donis Dei insignitus est, & tamen fide caret, non agnoscit ea esse dona Dei, sed uti proprium suum esse inueter. Proinde putat sibi in his licere quidquid libet. Fides autem docet hominem donis sibi divinitus collatis non fieri Dominum, sed servum & ministrum, & quo maiora dona quis acceperit, eo maiori servituti obnoxium esse. Hinc Christus: *Reges gentium (ait) dominantur*, de potestate sua superbiunt, & abutuntur pro sua libidine. *Vos autem non sic; sed qui maior est vestrum sit sicut minor, imo minister.* Modicum sustine Pilate, & intelliges quantam hab<sup>bas</sup>